flor.

Archiepiscopus Gnesnensis.

Calissiensis Soc. Jesu Collegii: Reduces e Regum Principumque augustalibus ad primariam Poloniarum cathedram ducales tiarae.

REDVCES
E
REGVM PRINCIPVMQVE AVGVSTALIBVS
Ad
PRINCIPEM POLONIARVM CATHEDRAM
DVCALES TIARÆ
In
ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO
D. CASIMIRO FLORIANO
Duce in Klevan
CZARTORYSKI
ARCHIEPISCOPO GNESNENSI
LEGATO NATO
R. P. PRIMATE
PRIMOQVE PRINCIPE
Ab Archipræsuleo Calissiensi Soc: IESV Collegio
SALVTATI.
Anno Salutatæ à Cælesti Legato Virginis
M. DC. LXX. IV.

CALISSIJ, Typis Collegij SOC: JESV.



Quid stricto munit Cataphractus Acinace dextram?
Quid geminas ambit fulva Corona Cruces:
Scilicet ELECTI sacram Diademate Frontem,
Belligero cinges Principis ense latus.
Prima Coronato Capiti, Crux altera Ferro
Omina quæ à Superis fausta precetur, habet.

CELSISSIME PRINCEPS

ILLVSTRISSIME AC REVERENDISSIME

ARCHIPRÆSVL

Honorum metam Tuus iam attigit Eques; Tu adhuc in meta es, tertiùm & supremùm Infulate PRINCEPS. *Nec effugis ingenii vel oculorum aciem, quem in apricum protulit (etsi nunquam Tibi aliter quàm soli latere contigit) impressa Infulæ Gnesnensi sublimitas. at sic terrenum fert ingenium; in conspicua collimat. Eras Tu quidem nativâ luce semper conspicuus, cui radium tot sæculis accendit derivata cum sanguine, Regum serenitas; sed manifestiùs hæc illapsa oculis oberrat ac inhæret, dum illam in terris adhuc superstitem inter aras consecrat quædam Summorum Præsulum apotheosis. nam & illos terris exemptos Cælis inserit munus Divinæ æmulum potestati. Quid ergo? effusa in Te Regni & animorum Studia collimant, conspirant vectigales calami; nec evadere fortasse vulnus poterit modestia: non enim inermem gerit pharetram, hic etiam qui Poloniæ pervasit pectus, in Principem tantum Amor. Nec erit illi otium arcus, dum in officiorum certamen provocatus armatus Eques, & arma licet innoxia intentat. Ingenia graviùs accendisti, quando Summum in Sacris Imperium Tuum urget, ne Tibi in honorariam pompam desint. Dum enim hoc Solennis inauguratio Te capessere iubet, simul gratantium officia quâdam arcanâ vi tanti muneris imperat; eò quòd illud pondus Tibi Summa Infulæ Maiestas impresserit, quo universa Oratorum agmina in terras præcipitet veneratio, cui totum in genua & pronas cervices fluxit ingenium; vel in altum libret ingenia, quæ Summus hic inter Infulas apex iubeat evolare. Plausus tamen etiam minores nec volaticæ mentis interpretes, & gratulantis Latii vocem recipies, quod Tibi plurimum debet, etiam antequam lauream Romæ dedisset. Nec sterile argumentum illi tua vel dignitatis vel Originis obtulit celsitudo, ad quam nullius sic penna evolavit, quin altior meta felicitatem abstulerit par Tibi encomiùm moliendi. Nacta enim eloquentia in argumentum laudis eum Principem, in quo dibapham colit purpuram à gemina & sanguinis & Lechici laticlavii tinctura: divisam gratulandi necessitatem sibi sentit incumbere quò & Lechicis sceptris tantum Præsulem, & Gnesnensi solio tantum Princi-*

pem

pem veneretur. Arripit hoc utrumque munus Societas IESV, Calissiensis vel maximè quæ ad Archipræsulem Gnesnensis Cathedræ suam refert originem; nec enim Calissiensis Pallas è Iovis cerebro, ut fabulosa illa, sed è Karnkovii gaza prodiit. Tu, PRINCEPS & Archipræsul Illustrissime, si quid non pro tantæ inaugurationis apparatu, non ex tantæ Celsitudinis merito, Orbi in pagina porrectum videris; plura animis, quàm paginæ de Te impressa, in illis quàm in hac perennior, arbitreris.

Caput infer Olympo Gnesna.

Antea nidus Aquilarum, nunc Principum augustal.
Cælo affine decus est tot siderum coloniam extitisse:
Nunc te Prima Infula propiùs cælo admouet,
Simul ac tuis offulsit aris

Illustrissimus Princeps
CASIMIRVS FLORIANVS
Dux in Klewan

CZARTORYSKI

Bis Princeps, ter Pontifex,
Pridem toties Summus, hodie Primus Primasque.

Nil mortale geris. fluxit potiore metallo
Æthra tibi, triplicis vittæ simul arsit in auro
Tantus apex. Lechicæ decus augustale tiaræ
Non tenues animas, grauibus sed nobile mitris
Ambit inire Caput, meritamque urente pyropo
Infrenare comam. Viduis sic fascibus auctus
Creuit honos, graviore micat dum lucis obryzo
Gemma Ducum, Procerumque Caput.

Fluxere tot sæcula

Dum Fridericum obstetricante Cælo tibi parerent,
Qui Regium Sanguinem ad aras tuas obtulit.
Deinde alio tamdiu litasti Sanguine;
Donec, renata veteris ævi felicitate,
Iterum in Principe CZARTORYSCIO
Mitratum tibi verticem ætas aurea submisisset.
Tam raro citra ætatum moram coaluit augustior fortuna.

Ergo

EMinentior tandem euasit Primas Infula, dum post Serenata tot sæculis Patritij Census capita, etiam privilegio Sanguinis au-

ctoratum Principem coronauit. Par enim propemodum Olympo credi potest sublimitas, ad Basilicæ propaginis ornandam assurgere Majestatem. Id quidem Infulatum hunc apicem ultra commune fastigium attollit, quòd vel ipso sui aditu creet Principes: sed raro & nonnisi post diuturnum illustrioris fortunæ magisterium, ea Gnesnensi Cathedræ occurrit felicitas, ut priùs Principem, atq; in Proavorum purpura Regem nosset, quàm in Pontificia bysso Antistitem adoraret. Diu magna quidem Nomina in Sacratiore hac curuli Venerati, maluimus ea illis enitere titulis, quos cum Infula induissent; & thaumaturgo vocis oraculo Principes aris condere, quàm natos ad id adoptare. quasi pulchriùs æmulatrix gloriæ natalis ætas duceret, gratiæ aut meritis deberi omnia, nil naturæ. Fecundior Heroûm, Ducum ad Infulas sterilis ætas, moræ tædia sustinere cogebatur; donec magis amica nostro seculo sidera Te, Princeps Celsissime, delegissent, cui iam antea cunarum beneficio Principi, Principis Ecclesiæ gubernacula crederentur. Atque ita in Te reclinat⁹ Honos, repetito quod semel olim viderat obstupuit miraculo; dum in Te coronando congenitum inveniret Principis titulum, quem recens primùm cum tiarato munere tot alijs imprimere solitus erat. Cæterum haud diminutam per hoc existimat fastigij sui dignitatem: quin gaudet potiùs non parum gloriæ additum, intercepto sibi per Te hoc gratiæ munere, quod tamdiu in cæteros refundebat. Præcellentiùs siquidem est novum fortunæ cultum inducere simul in Duces sanguine, quàm inter Infulas tantùm Duces munere; & permisto Regum Solijs Ducum Sanguine fortunam suam intingere. Quòdsi alibi prodromis meritorum auspicijs natale Suffragium ad Principatum prævertitur; adhuc infra Tuam Celsitudinem hic aliorum apex est, qui & originis, & Illustrium gestorum calculo Princeps, capis hanc Infulam post dotalem Ducum coronam. Vnus ergo alijs, geminus tibi in hoc vittati honoris Sacrario Principatus obtigit: alter, quòd cognata felicitas Tibi mitram induerit; alter, quod meriti Celsitudo Principem proclamârit. Id verò extra gloriæ jacet aleam, si mutuis certatim studijs Virtus & natura in decus solidum cõspiraverit. Geminatus proinde Pontificiæ Mitræ honos quòd tanto Capiti tandem incubuerit, cuivis fortunæ invidiam moturus, cùm Tuæ pulchro fœdere cohæsisset. Vltra spei audaciam, ultra votorum capacitatem, dotalem gloriam, quam in Te parabat refundere, accumulat in seipsa, iam ornatior

tior de Tuo,quàm ſi nativæ tantùm impendio lucis claruiſſet. Nam Honori etiam honos intenditur, dum illi purpuram Sanguis regius miniavit. Cenſoriam Orbis pupillam urunt ardentiùs trabeæ, ſi Solem illis grandior induxit Purpuratus; ut in Sceptris regalibus accedit auro pretium, quòd bajulâ Principum manu attrectentur. Accepiſtis è Poloniæ Cæliq; Voto Principem Gneſnenſes Aræ, & tanto Antiſtite ſtatum ſtaturamq; erigitis. Intra decus eſt Principalis aræ, non hoſtiarum tantùm cruore, verùm & baſilicæ ſtirpis rubere Sanguine,ac in Regum familiam Sacerdotij jura inſinuare. Non in opacum ea lux incidit, quæ ſic refringitur, & pulchro luminoſi fœdere roboratur; evenitque tunc, ut faſtigiatus honor lucem hauriat ab eo, quem extulit, nec tam ornet,quàm viciſſim liberaliùs exornetur. Huius verò haud ſcio, an in quoquam certius Fama capiat documētum, quàm in Te, Princeps Celſiſſime, qui Cathedrā vix Sacro preſſiſti veſtigio, mox eandem in grandioris fortunæ faſtos inſcripſiſti. Eximium id, Tuumque, quòd maior ſit dantis, quàm accepti gloria, quo etiam poſteritati os obſtruis, ne doni vim exaggeret, quod inſitâ Tibi in majus provehis Majeſtate.

Etſi autem non tam inauguret Te Principem, quàm recipiat hoc Pontificium auguſtal; adhuc tamen habet, quo Te in publico majorem Orbi ac ſeculis oſtentet; habet quo ultra Principum Præſulumque nomina reponat. Ineſt hoc faſcibus quos prehendis, ut novam Tibi nec Principe haud dignam oggerant titulorum pompam, quæ honorarium Tibi præbeat comitatum, ac eò pulchriùs Te circumſtet, quò carbunculus in auro beatior renidet, vel in gemma prænobiles cælaturæ. Primum eſt, quod Te Summatum Celſitudini eximit Primatis cognomentum. Hoc dum Te Sacrorum Regem & Supremum in Polonia initiat Antiſtitem, ibi Tuæ ſummitatis baſim defigit, vbi Summus apex vel meta reliquis creſcēdi infringit fiduciam. Limitem ducit novitq; adſtrictior aliorum poteſtas; at hæc Princeps Infula orbem Polonum cohibet, ſuoque imperio totam pervagatur Lechiam. Accedunt baſilico proxima Primi Principis nomina: quæ Te à Rege tantùm ſecundum conſtituunt; cæterùm ſupra omnium reliquarum dignitatum fortunam & apicem evehunt. Tantùm detulit illuſtris hæc Europæ portio primæ ADALBERTI Cathedræ, vt in ea non Sacræ ſolùm, verū & profanæ amplitudinis defixerit Anteſignanum. Alibi Præſules ius

 in tem-

in templo & conſcientiæ Areopago dicere, nō in Curia, aris tantū non focis etiam præſidere ſinuntur: tota illis inter fanorum ignes aureamq; ſupellectilem Majeſtas; nulla in regni gubernaculis communis cum Proceribus auctoritas, nulla ſtatûs vel Reipublicæ, nulla regionum regni tuendarum ratio, tota religionis; quaſi non tutiùs ab aris oracula pandantur, vel non ſanius ſit conſilium, quod ſanctius, quodvé DEO proxima depromit Pontificum Majeſtas. Alia regni ac religionis facies in Septemtrione Sarmatico, ubi quot Præſules, tot pœnè Reges, nec tam Cives Patriæ, quàm Patres verèque conſcripti, non alio quàm Ordinis charactere. Novit hoc dotale Vaticanæ fidei regnum Divinæ conſcios poteſtatis faſces publico religionis argumento proſequi, & velut exiguum Lechicæ pietatis documentum ſit Procerum ſubſellijs Infulas miſcuiſſe, purpuratæ inſuper Summatum Centuriæ Præſulem vnum anteſtare imperat, Regumq; lateri proximè adnectit. A Te itaque, Archipræſul Celſiſſime, prima Conſiliorum ducuntur auſpicia, ad Te velut Os Patriæ Cælique, velut primum regni Oraculum immiſſa imperio calamitas provocat: nemo Patriæ poſt aras Te obſtrictior, nemo publicis curis diſtrictior poſt Divinas, cui publica integritas primò tutòque innititur. Nempe ubique Tu prim⁹ honoris hujus aditu eſſe cogeris: ſeu mitratus Ducum Splendor publicum Serenitate accendat, primus Tu Princeps: ſeu ſenatûs habendi ratio animi arbitria proferat in commune, primus Tu in Purpura & Senatu: Inaugurare Principem & orbitatem à Sceptris depellere, Regū deferre inſignia (quod quidem perinde eſt ac ſi regno Principem dares Solus) Tuæ ſunt partes, primus Tu & unicus hic intervenis. Adeò non unum & tamen ſingulare quodlibet munus eſt, quod in Te cum principe tiara cælitum benevolentiâ defluxit Sed vlterius per ſereniores titulos, velut per regnatricem viarum honorumque Appiam, Te circūducit inaugurationis Tuæ pompa, Princeps Reverendiſſime, quæ nō nativâ tantùm Primatis eminentiâ te Procerum coronæ antepoſuit, ſed pœnè regium tibi cum Sacro vellere paludamentum induxit; nec tam Pontificium inſigne, quàm emeritæ manui Sceptra ingeſſit. Talis quippe capit Gneſnenſem ad aras Purpuram, qui in locum Regis, quem mors abſtulerit, ſubrogetur: tamdiuq; imperandi molem ſuſtineat donec illi remp: reddat, quem cælum votaq; publica Sceptris admoverint. Vt jam non intercepta

fatis

fatis, ſed in Primate continuari ſolita Regis dignitas perſeveret: &
nunquam Principe viduentur faſces, quibus proviſum eſt, ne deeſſet
vnquam qui eos gerat; nec tam Rex terris eripi, quàm mutari po-
tiùs videatur. illud ſuum ſolenne etiam nunc retinente Gneſnâ, vt
quæ olim aliquandiu Reges tulerit, perpetuâ jam ſeriè proferat In-
terreges. Adeò nec iſtud Ovile Paſtori negat vellus aureum, & Pa-
ſtoritius Scipio in Sceptra Principum ſolidatur, ac fortunæ fatorũq;
artificio refingitur. Et vetus quidem hoc Infulæ, quàm accipis, or-
namentum: novo tamen, veterumq; moribus inſolito, ritu ad Tuum
Illuſtriſſime Primas, accedit decus: ſiquidem pleriſq; qui Te anteceſ-
ſerunt, baſilica hæc Viceregis appellatio ſolam Majeſtatis ſpem attu-
lit; alij vacuum iſtud imperij nomen diutius gerebant, antequam
inimica regum fata in eos regnandi Vices tranſtuliſſent: Tu verò
non ante, Princeps hoc Summæ poteſtatis vocabulum, quàm ſupre-
mas Regni curas induiſti; quin vt veriùs loquar, properantibus in
Tuam gloriam fatis, auguſtum iſtud Honoris Tui nomen non tam
comitari, quàm præcurrere poteſtas videbatur. Vt primùm Sacro
iſti Honori deſtinatus es, mox erepto Principe tot malis feſſam, in-
ſuper infelici ſterilitate decedentium Principum fortunæ obnoxiam,
rempublicam ſuſcepiſti. Et ſextum iam menſem rei Polonæ arbitri-
um Proregis imperio obtines, immenſoq; regni totius corpori Tu
inprimis vitam inſpiras. Tu iſto interregni iuſtitio Sereniſſimus In-
terrex parem Regibus exerces fortunam, & imperij clavum in præ-
ſenti turbido regis. Tuo edicto ſeveriorum iudiciorum ſubſellia
per omnes regni Satrapias erigis, quorũ metu publica ſecuritas pro-
pugnetur: Patres, atq; Legatos Palatinatuum conventibꝰ delectos;
in curiam Regni vocas; vt, è moribus majorum, Sacro inter ſe fædere
obſtringantur Provinciæ; ærario maneat vigor ad belli paciſq; ſu-
ſtentanda negotia; cæteriſq; cõſilijs communis ſalus ac felicitas mu-
niatur: ut Tuâ providentiâ res omnis ſtet hac reipublicæ tempeſtate
peſſimis quibuſq; conatibus opportunâ. Tu cogis, orbatis faſcibus
datura Principem, Comitia; fluctibus eorũ moderaturus adultâ jam
apud omnes authoritate, atq; publicis conſilijs innutritâ prudentiâ.
Sic quidem Patria; Roma inſuper intendit eminus auctam in titulis
Serenitatem, dum Te, Principum Præſulumq; Princeps, inter Sacra
initi muneris auſpicia Sedis Vaticanæ Legatis, Romanæ Curiæ ſty-
lo, inſcribit. Naſcitur in hoc honorariæ Miſſionis Nomen, quiſquis

Gneſnenſi,totiuſq; Poloniæ Clero & laticlavio,ſolenniore pompâ rituq; præficitur. Orator eſt Pontificius, quiſquis hanc inſedit Cathedram; nec aliorum depoſcit panegyres, cùm ſua vocalior dignitas, luculentior ei Sit Orator, & Roma præconium ſingulare. At ſi ulli, Tibi Neſtoris Romani cognomen adhæſerit non incongruè, cui mellea ſuadendi ratio condit Orationem grandiori illi Agamemnoni victoriam paritura. Tam flexanimum geris facundiæ genus, ut velut Neſtori urbes, tibi animi ſuccumbant, ſi alicubi telum dicendo intorſeris. Et noverat Roma lyncea, cui æternùm Legati munus cōmitteret, cujus indolem ad ſumma natam inter adyta Sapientiæ perſpexiſſet. Priùs Tu Romæ, quàm domi illuſtris Cyneas; eius collibus eminentior viſus, dum ingenium excolente Latio non humiliùs evolares, quàm aquilarum indoles pateretur.

Neque Tibi ad hæc principalis fortunæ faſtigia arduus omninò aſcenſus; quia de ſummo. Qui ab imis aſſurgunt ac ſurſum enituntur, Vires illis exhaurit iter ſæpiùs, & mora fatigat, Sed Tibi ſumma ſcandere conceſſum ex prᴂalto, in quo te generis fortuna poſuit; at montis ſupercilium inſidet ſine prodigio, cujus fortuna planum refugit, & nunquam in valle conſedit. Per purpuram dotalem ac domeſticā, velut per Erythræum cum Sanguine diffuſum, ad purpuram facilè enatatur. Hinc & Tibi, Ducum Sacratiſſime, per ſanguinis jura merito hic incumbit honos, cui exercitatæ ſub onere trabearum vires aureis fortunæ muneribus pondus ademêre, verſâ in naturam aſſuetudine in paludata propagine ad Atlantis munus ſub imperiorum Sarcina condocefactam. Infers enim in Primatem Eccleſiam tecum tot Heroûm, tot Ducum nomina: infers tot cognata Regum, tot Cæſarum lumina, & regiam vel auguſtal efficis, ubi cōclave Lechici Pontificis iniiſti. Primi Principis agnomen induis, qui Tuis in Majoribus indueras Regis: pallium humero circumponis, qui geſſerit in iiſdem paludamentum: Sceptris dotalibus ſubſtituis Paſtoris baculum, quo Eccleſiam poſt regna ſuſtentes, columen utriuſque. Sanè quidquid à primo Iagellone in hoc ſolium proceſſit, quidquid tam longa coronavit ætas, id Tuus Sanguis eſt: quidquid Ducum ab Olgerdo in hanc uſq; diem hìc inclaruit; in hæc terrarū ſidera te inſeruit fortunata cognatio, priùſq; tibi quidam gloriæ offulſit meridies, quàm vitæ luciſq; diluculum; priùs Tibi dominium terrarum in Tuis contigit, quàm terras veſtigio conſecrâſſes; priùs thro-

thronum regium insedisti, quàm vagitu cunabula implevisses. verbo; Genus Principum es, quos Maximos hucusq; coluit regnatrix Polonia. WISNIOVIECIOS lux nativa, & facinoribus quæsita, Soles Patriæ fecit, & post HIEREMIAM (quòd nomen non jam planctibus sed plausibus initiatum) MICHAEL Solus Parente Major Ducalis Domùs gloriam in thronum intulit; atq; per augustæ Domûs connubia, per avitam Austriacorum Fasciam, novum illi induxit Zodiacum, novaque illi cum suprema Europæ Serenitate fuit affinitas. Hujus autem regnatricis Lunæ radij citra luminis parsimoniã in Te refunduntur, quem natalis propinquitas illi primùm, mox Imperialibus Aquilis æterno fœdere illigavit. Equitem Tu quidem ceris ducalibus impressisti, quibus è tenebrarum & vulgaris famæ confinio effluis; sed in affinib' jam Aquilis terras volatu celerrimo prætervectus totâ palpebrâ Solem excipis. Tuum est quidquid in Sigismundo Augusto ultra nominis Majestatẽ, quidquid in Sigismundo Tertio primum, quidquid in Vladislao IV bis secundum, in Ioanne Casimiro ultrò regni fascibus evoluto recensuit Orbis gloriosum. Sed opprimit me Majestate argumenti & luminis vehementiâ Tua in Ducum originem relapsa Serenitas, quàm & ab Ostrogiẽsium Ducum inhærente ceris sidere, & Zaslaviensi ac Zbaravij principatu continuata lucis serie transtulisti. Adhuc insuper Materno cum lacte KORECIAM lucem hauseras præter propinquitatis jure derivatam: felix omninò, si hoc fortunæ Serenum hebetior pupilla ferat: incurret enim simul in eam purpurata Majorum (quibus Tu nunquam minor) series; incurret Parens Illustrissimus, cui ad immortalitatẽ Nominis (quam hæres ex asse obtinet) sufficisset, quòd Te fatiscenti Patriæ, Ecclesiæ gestienti vadem suis superstitem fatis reliquisset. Reliquit tamen & sui desideria, dum solatijs interdiceret, quorum scatebram illi civilior urbanitas, & publicis circumscripta momentis ætas, indiderat. nam privatis tantùm usibus implicare vitæ spatium, nec in plurium usũm illud partiri, personati est Civis Patriæ. Secundos Wolhyniæ fasces ei delatos nunquam indoluit Polonia, quòd in purpurato procerum consessu potiora Delphicis augeret oracula, quæ non de cortina Phœbi, sed de imo pectore velut boni Consilij Sacrario funderentur. Sed illius Panegyres ultra facultatem sunt eloquentiæ, & imbecillitas Oratoris eas prohibet, quòd ad probri confinia declinet Oratio, quæ rudi calamo deterit

gesto-

gestorum præstantiam, dum obiter tantùm delibat; quæ tamen cùm sua granditate Olympo superstent, non egent cothurno, cujus adminiculo attollantur. Prensat tamen adhuc calamum, & fidam plurium ætatum memoriam, Tuus Proavus Hieronymus Dux CZARTORYSKI, cuius encomium regalis supplevit facundia. & satis encomij fuerat, Regis Augusti iudicia meruisse triumphis obnoxia, dum contra confertos Moschi manipulos Kijoviensium armorum regimen illi committeret, novum in Hieronymo Alciden Tauro illi opponens non facilè ferociam posituro, nisi in Herculis clavam incurrisset. Quid enim Augustus armorum Ducem quæreret extra Ducum tantorum lineam? quid Equitem extra vestrum Equitem gentilitium? Sed fortè altius præconium tulit ætati nostræ propior Ianussius Czartoryski Parentis Tui Celsissimi Patruus; coronarius victor, quòd Stephani Batorij in Moschum & victorias comes. Non eguit stimulo virtus & ille Eques, ut curreret non segniter in trophæa: calcarium ad instar erat coronatum Stephani Nomen & vincendi arduitas, quæ duo generosum accendunt Martem, quoties non in ignaviæ castra impegere. Poterat iam nôsse sibi fatalem huius Equitis manum Moscua, cuius Ducalis mucro nullo sæpius cruore rubuit, quàm vel Moschi vel Auroræ Tyranni. etsi Ianussius sui non parcior, quàm liberalior hostilis fuerit, utpote qui dum barbarorũ Sanguine agros & flumina colorasset (quali flumine certiùs attingitur portus gloriæ) triumphis immortuus, è pulvere bellico pulchrã immortalitatis messem collegit, hostilitati fatalior, seu occumbere barbariem cogeret ineluctabili armorum imperio, seu post tot laureas occumbere cogeretur. In Livoniam non excurro, quò vester cùm Georgio vestræ fortitudinis nominisq; hærede excurrit Eques: sed nec Vallachiam libet revisere, ubi trophæa fixit præliaris anima, cùm domi adhuc eius hæreant floreantq; virentes laureæ, & paterna virtus ANDREAM CZARTORYSCIVM reperit ex asse, ubi sat gloriæ foret alijs vel ex dodrante vel triente fuisse hæredem, ne plures Fabios Roma in fastis coleret, quã Polonia CZARTORYSCIOS. Nam Theodorum ejusdem Nominis Ducem nec fasti satis capiunt, nec Luceoria tacet, cui exile ad sanguinis decus fuerat, quòd pænè Camillorum gloriam extinxerit, dum latè protulit suam Dux consilio, manu pugil; insuper illius Vrbis gubernacula sic admisit, ut potiora eius duxerit munimenta, etsi (quòd Sparta iactabat arroganti⁹)

& illi

& illi pectus Principis pro muro fuisset. Vix ulla tamen post Moscuam regio sic vestris armis inhorruit, ut Thracia. Expalluit Luna Ottomanica, quoties signis per vos illatis Oriens extimuit, ne illi Occidentem ultimum arma hæc inveherent. Nec minus maternum KORECIORVM DVCVM Martem Mars barbarus expavit; cùm hinc BOGVSSIVS latè sui nominis armorumque terrorem per Bulgariam Thraciamque distulisset, lymphaticam pænè Scytharum pernicitatem servilibus catenis frenatam ausus compescere, & adhuc odia in hostem cum DVCVM Sanguine Magnis nepotibus infudisset: Inde SAMVEL KORECIVS inter vincula horrore barbariam implevit (nam Tyrannum etiam captiva & inermis profligat virtus) nec menti, nec linguæ compedem inijci passus, quin utrique libertatis privilegium assereret captivitas purpurata. En quot Heròás tecum viva Majorum effigies inducis Archipræsul ILLVSTRISSIME, & ritu beatiori virtutem Sanguinemque consecras, quem hausisti. Accepit ergo à te Gnesna, quantum dare Principi tot decorum conscio minimè potuisset: dedit, quod vix ulli pulchriùs, vix ulli æquiùs contulisset. Sed adhuc extra Tuæ Domus atria evagari haud lubet, ut in sole hoc majorem hauriat diem Oratio, Sacerque sibi uberiùs applaudat vel succenseat Honor, qui dum in Te exornando moras admisit, suum, non tuum distulit decus.

Comes Heròúm gloria

Per gradus Te ad Summa deduxit.
Nam rarior est Saltus Fortunæ.
Primus tamen Tibi Gradus ad metas Gloriæ:
Vnico Naturæ passu In DVCVM Fastigio constitisti,
Cum Sanguine Tibi Hæc affluxit Felicitas.

Nimirum

Et Sanguis enatat in Sublime
Si succrevit in diluvia Gratiarum.
Sudum Fortunæ est, ubi hæc rubuit Aurora.
Tantus ergo tunc eras etiam cùm vix esse cœpisti,
Et vel in Cunabulis Gigas, quia Par Celsissimis.

Proinde

Iuvat in Originis TVÆ Sole stylum defigere:
Noctem effugit lucubratio, quæ radium inde hausit.

Nil quidem in plerisque Magnum præter Majores,
Nil præter Avorum Imagines Pulchrum,
Etsi illis jam fumosis adhuc majorem fumum addant
Hoc solo turgidi, quo vel pessimi possunt,
Et sæpe Illorum Prosapia in Fonte turbidum bibit.

Tamen

Aliorum hæc tantùm probra sunto:
Eorum Origo si Majores iactat,
TVA MAXIMOS.
Nam de Maioribus otiosè inquiritur,
Vbi ad Regum Propaginem est deventum.
In Maxima Fortuna frustra majorem quæras.
Quid verò in Tua non Regiæ permistum.
Quæ & IAGELLONVM Fasci se innexuit,
Et in Lunæ Regalis cognato lumine noctem nescit?
Vtrinque ad Lechicas & Imperij Aquilas Subvolavit.
IAGELLONIANO Manipulo hanc insevit Felicitatem Olgerdus!
In Hunc & Tu Primam refers Originem,
Qui Sceptris numerosam Prolem effudit,
Et in duodecim Fratribus novum Regnis accendit Zodiacum,
In quo tamen nullum citiùs Signum occurrat,
Quàm vel Leo, si Fortium requiras Facinora;
Vel Astræa & Libra, si bilancem Æquitas requirat;
Vel Sagittarium, si hostilis temeritas sit telis propulsanda.
Silvæ Dodonææ famam infregit,
Dum hanc Arborem Consanguinitatis plantavit,

Quæ

Ioves etiam, non Mercurios tantùm vel Martem format.
In Trophæa Victoribus,
In Clavas Ducibus,
In Aras Superis sobolescit.
Iuvit ab hac Principe Planta Te SVRCVLVM prodijsse:
Magni Sanguinis Illustre vectigal est;
Et beatis effluxibus per rivos manat limpida in Fonte Scaturigo.

Ergo

Te OLGERDI Cognatio Fastis Regum inseruit,

In So-

In Solia cum Illis conſcendiſti per commune Sanguinis Conſortium.
LVNA WISNIOVIECIA dum Se arcuat,
Tuæ quoq; Inaugurationi Arcum de Se erigit Triumphalem.
Ducales OSTROGII & ZASLAW Principum Ceræ
Si per Orbem Lucem diffundunt,
Ceræ hæ Tibi etiam lucent.
Nam KORECIORVM DVCVM Facinora
Quòd Lunam Orientis ſæpe extinxerint,
Tibi per Ortus Maternos Solem accendêre.
Avitus eorum Eques intra Poloniam non ſtetit,
Donec barbariam calcaret,
Quam ubi victorijs emenſus, famâ inſuper univerſum peragravit,
Tibi etiam hæc Trophæa Materno Lacte inſcripſit.

Etenim

Lac etiam Scripturienti Famæ eſt opportunum,
Et ſæpe maioris Fortunæ Candidati non aliâ ſepiâ ſcribuntur.
Dubium tamen Orbi, Majuſné ſit quod hauſeris;
An quod in Cognatum Sanguinem viciſſim refuderis,
Ingenium peroſus ſterile,
Quod transfuſos cum genere alueos nolit in æquor creſcere.
Scatebram vertit in Oceanum capax indoles:
Et magnæ arbores dum radici vitaliter inſiſtunt,
Capite Cælum pulſant,
Et hauſtum à radice vigorem in aſtra gratæ provehunt.
Non ſola in Radice Tibi Virtus & Fama,
Prima Tibi Principem noſci Gloria, ſed non hæc Vna & Solitaria:
Calcar hinc Tuus Eques accepit ad Curſum per Ardua
Et Curſûs Terminum Cæli ambitu circumſcripſit.
Tandemque poſt diuturnum in Circo Maximo Curriculum,
In Metam Honorum Sarmatiæ Incurrit.

Quare non ſolùm propinquus Regibus ſanguis, & pace belloque clara Majorum nomina Te ad iſtud Honorum deduxêre faſtigium. Eſt Tibi ex Teipſo etiam haud parcior ad omnem illuſtriorem fortunam commendatio. nam longa parentum tantopere laudatorum decora, non minùs egregijs præfers moribus, quàm imaginibus: vt ex illis non genus tantùm, ſed ipſum ſimul animum ad maxima quæq; genitum hauſiſſe videaris. Sanè reperias nonnullos quibus

quibus origo ſplendida, exundantes opes, cæteraq; eius generis fortunæ munera pro Virtutibus ſunt: cùm tamen cuncta hæc extra animum bona, non totum hominem à vulgo diſcernant. Porrò apud Te clariſſimis purpuratæ familiæ Ceris concolor in totum animus; Principi propagini par per omnia Virtus; atque indoles quibuslibet reipublicæ munijs penitùs implendis abundè ſuffectura. Et quemadmodum naſcendi ſortem primis quibuſque inferis nominibus; pariter nobilioribus artibus inter primos cenſeris, quos vnquam ex merito amavimus, veneratiq; ſumus. Perſuaſum habes filijs ſanctiorem eſſe debere cum Patribus nexum Virtutis, quàm cognationis: & ex natalium claritudine ſatis ornamenti eſſe, ſi quis priſcæ nobilitatis fidem non plebejâ Virtute firmaverit; nimium dedecoris, ſi à fæcunda Heroûm origine ignavus hæres degeneraverit. Atq; jure merito rides illos inclytarum familiarum fucos, qui magnifico nomine mentem velant ignobilem: & ſolâ ſtirpis gloriâ ſuperſtites, ore tumido triumphales ſpirant avos; neq; tamen ſe genus ab illis ducere præclaris docent facinoribus. Idcirco ſuper ea Illuſtriſſimæ Domûs decora, quæ Te naſcentem circumſteterunt, ſemper Tibi curæ inprimis fuêre illæ animi dotes, quas deinde publico utiliter impenderes. omneſq; aſſecutus es tam illuſtres, vt cuivis alteri minoris originis, atq; ex ſe nato, ſatis eſſent ad ſummas quaſque dignitates in familiam, quantumvis rudem adhuc honorum, inferendas. Suſpeximus ſemper Te procul ab inconſultis impetibus, quos deinde ratio & maturior ætas componeret: ſuſpeximus indolem non modo extra ætatum vitia, ſed & in virtutes ſponte inclinatam. A primis annis Vivis non exemplis, ſed honeſti legibus: conſtans ſibi Vitæ Tuæ integritas nullam novit morum partem, quam erubeſcat; & quiſquis in Tuam famam curioſus penetraverit, nihil etiam præteritum reperiet, quòd habeas excuſandum. Et quia honorata virtus non ſine comitatu in publicum ſolet procedere; conſuetudine ac ſermone alijs quoq; omnigenam adſpiras probitatem. Eſt Tibi præterea ingenium ad cuncta honeſta erectum: tranquillus animus ſemper in eundem ſtatum compoſitus: prudentia longo vſu erudita: comitas cunctis facilis, integrâ tamen Principis majeſtate. Nemo deſideret Candorem animi, detectum pectus, ac fingere neſcium: nemo ſtudia populi innocentibus artibus quæſita. His magnæ animæ dotibus partam cum ingenti fama auctoritatem, non parum au-

xit

xit eximia eruditio. Quidquid literarum Sapientiæ adyta continent, per earum cultum adolescentiam transegisti; idq; tam feliciter, vt altioribus studijs non prima labra, sed intimum animum profundè imbueris. Quod quàm verum sit testis est caput Orbis Roma, quam non tantùm magistram studiorum, sed & præconem habuisti. An enim semel illius togata & purpurata subsellia in plausus excivisti, dum in Principe illo Europæ ac terrarum theatro laureas Tibi ingereret? Sed Romano in Capitolio defixis ingeniorum spolijs, solam inde lauream, & Romana de Te arbitria retulisti in tantum amica, ut caput emeritum ceu victimam infulis majoribus destinarent. ut ferè non irrita effundit præsagia solers urbanitas, & procurrenti in ardua indoli metam ipso honorum in Centro defigit. At extra Romam quàm Tibi Romanus ubique animus, & digna Latio spectante facinora! quàm Chrysologo suppar pro sanctioribus rostris detonans facundia! quàm multus in illo Hyblam Atticam destillans Ambrosius! quàm acerrimè acutus in argumentis Augustinus! cujus dum Te monimentis totum immergeres, ad ingenium illius Antistitis accessisti, & Africæ ipsius (ubi caluit ille plurimosq; accendit) in animos æstuaria transtulisti. sic nempe limatiora ingenia non quivis implet commentarius, sed argutioris Theologiæ apex vel pugnacis Sapientiæ ineluctabile argumentum. Nec verò unum Tibi cum Augustino commercium; sed omnis literatura, & quædam Scientiarum encyclopædia pectus & ingenium occupavit. Totus Tibi Aristotelis Euripus in mentem facillimè influxit, vadumque in eo nescis, quin ad profundum penetres, veri acerrimus indagator: Vix ibi occurrit amentatæ adinstar hastæ ratiocinatio vel difficultas, quam non infregeris; vix Achilles oppositus, cui par acumen non opposueris, ipsa difficultate argumenti urgeri sentiens ingenium ad victoriam anhelum, quoties ex arduo laurea peti posset. Nil ferme reconditum in Ægyptiæ Sapientiæ adytis, nil in Atticis noctibus vel lucubrationibus abstrusum obscurumque, cui diem invehere non possis: nullus in Sacris codicibus asteriscus, quem efficere solem nequeas, si illustres: nil in politicorum adversarijs lucet, quod in animum ceu sidus non transferas eruditionis etiam illustrior Principatu. Nimirum Pulchro ligari fœdere gestiunt Libris Tiaræ; ac sicut vix quidquam vilius trabeatâ ignorantiâ & in purpuram assumpta ruditate, sic nihil ornatius, quàm dum purpuratum ambit Sapientiæ pallor,

 orbiq;

orbiq; ſcenam inſtruit eruditio paludata,& in conclave intimum totus admittitur encyclopædiæ nitor, vel Principum mitris ſe inſerit Laurea Doctoralis. Erat proinde, quod in Te celebraret Roma,ubi velut in quodam ingeniorum amphitheatro dediſti Roſcium; puduitque Italiam tam obliqui Polonorum ingenijs judicij,quaſi ſub Carpato hæc algeant, quæ Alpinis etiam ſudorem elicerent. Refutâſti enim affatim ſiniſtra hæc exterorum arbitria, quibus nihil extra Latium & Hiſpalim, extra Tyberim vel Sequanam ſapit, plumbeumq; ingenium, quod peregrini ſolis radius beneficè non afflârit, vel niſi Attica Belgij barbariem in illo præfocârit; quaſi ſub Bootæ cæleſtis influxibus agreſtis foveatur indoles, & Apollo magis Bæotiam amet quàm Sarmatiam. Et ſunt plerique, quorum ignavia mentium noſtrarum opprobrio fidem adſtruat, dum extra natale ſolum moram trahunt,& morum diſpendia referunt, domi tineæ, foris fuci; ſi tamen alterum Te Romæ ſolique extero tranſmittat Polonia, malè inolitam de ſe opinionem penitus abolebit. Talis ad aras imperet, ſi templa imperium deferre velint: talis Eccleſiæ iura dicat, ſi Divini cultûs acceſſio votis ſanctioribus illabatur. Sed libet adhuc ſtrictiori facundiâ tui florem ingenij delibare.

Etiam Principes decent Laureæ,
Nec tantùm quæ ferro metuntur, ſed quæ ingenio.

Immo

Pulchrius eſt mente quã manu confligere,& ſine ſanguine triũphare.
Et calami præter arma triumphant;
Certiuſq; inſcribunt Gloriæ Patrimonium.
Neq; Purpuram horret Sapientia: regnet Vna,quæ Vna optimè regit.
Specioſum id Principi,
Si Caput Illi Ratio magis quàm Aurum exornet,
Et Muſæ Verticem hunc non refugiunt poſt Parnaſſum.
Sed ad Laureas Tibi Roma placuit,
Quæ Campum Tibi Martium obtulit inter Sapientiæ Stativa,
Et Triumphum prope Capitolium.
Non gratis Tibi armatus Eques in Ceras influxit.
Iuvit huic Illum campo inſiſtere, ubi Acies pugnat Angelica.
Habuit ubi Arma experiretur, dum pro Capite decerneret in Arena.
Quemcunque Orbis campum aperiret in Lauream,
Minor erat Româ & Principis Ingenio,

viliora

Viliora ingenia capit angulus,
Publicum amat Celſa Indoles & Amphitheatra meruit.
Principi & Soli latebra non expedit:
In Sole tantus decertet Pugil.

Ibi vero

Vix Arenæ inſtitiſti, & Palmam rapis:
Ita per naturales evagatus Scientias,
Vt ſaperes ultra Principum Naturam, non infra Gloriam.
Profunditas Doctrinæ fundum Sapientiæ attigit.
Non gratis Tibi Thomas Angelicus placuit:
Hanc ingenij Profunditas Abyſſum amat.
Inter Divinas artes nemo Te Divinior:
DEVM ibi cernere didiciſti non lippiens ad Illum Solem Aquila,
Quem in Pectus Aquinas tranſtulit, Tu in Mentem.
Imminuit obſcuritatem Fidei tanta Lux Principis.
Auxilia Gratiæ Splendidè Tuus auxit Eques,
Libertatis Divinæ Miraculo Polonam devovens,
Non curſu per Olympia laudum Illuſtrior, quàm diſcurſu.

Certe

Perſpicaciâ diſcurſuum auxiſti Latio Soles,
Quos Aquinatis Pectus docuit poſſe in Terris gigni,
Poſtquam Illi Solem in Aureum Vellus appendit.
Vſq; adeò Illuſtre Caput non iam Palladem, ſed Solem concipit,
Solem parit!
Nec humanum quidpiam in Te eluxit,
Vbi Linguam Angelicam & Locutionem percepiſti:
Vt fermè Moribus Angelicis facilè loquela hæc addiſcitur.
Nihil tamen ex Angelica Summa Tibi magis inhæſit, quàm Gratia;

Nam

De Peccatis ita formaveras Scientiam,
Vt illa ad Conſcientiam non admiſeris;
Naturæ illorum ſpeculatiuè Gnarus, quoad Praxim Rudis.
Et vix ullius Sapientiæ grandius encomium quàm Tuæ:
Roma Tibi obtigit tum Orator,
Quæ tales Quirinali Purpuræ precata Candidatos.
Erat, quod Ingenijs Polonorum invideret,

Niſi

Nisi naturam Aquilæ nôsset sublimiùs evolare.
Eadem adhuc Oratorem Tibi obtulit Purpuratum;
Quem doctrina Senatui Ecclesiæ sacro murice inscripsit
Eminentissimum IOANNEM DE LVGO;
Ne Lateret Ingenium, quod Principem formavisset.
Amavit in Te Scientiam, quam Doctoris Laurea coronavit,
Daturus præconium Sapientiæ publico in Orbem iudicio.
Et Laurum hæc meruit,
Quod fulmina ex Aquilarum indole non timeret,
Quibus docta Scholarum tempestas detonat,
Et mite enim Aquinatici pectoris Cælum fulminat,
Dum Sapientiæ gemma concipitur.

Ergo

Refutâsti Pictorem illum, Magne Princeps;
Qui malis depinxit coloribus Poloniam in Icone Animorum.
Pulchriùs penicillum duxisset,
Si à Tuo colores duxisset Ingenio.
At Spongiam meruit, qualem Aiax Augusti,
Quòd ingenijs probra oggerat,
Quæ Princeps Laureatus Româ iudice delevisti.

Neque in Patria Tibi desunt Laureæ immortali famâ æternùm vernaturæ. Non vnam siquidem Coronam, pronis omnium Suffragijs, meretur erudita Virtus, quam publicæ fælicitati integrè deuovisti. Profectò si cui imo sedit pectore priscus erga rempublicam amor; si pravis studijs intacta Fides in Patriam & Imperantes: penes Te in primis laus ista est. Procul ab ingenio Tuo turpis assentatio, vel ignavus offensionum metus: procul invida æmulatio, aut spes ex privatâ affectione conceptæ. Vnica Tibi cura est, egregia merita, artesque bonas, quibus communem saltutem pro virili sustentas, ad publicæ vtilitatis regulam maturo iudicio explorare. Quid enim? Curia vel res ambiguæ Te in oracula evocârunt? publicis circumactus momentis Magnæ arcana animæ per consilia deprompsisti. Sententiam postulatus, eâ civilis eloquentiæ laude suadere auditus es, ut procul simul amoveris geminum salubrioris Consilij & bonæ mentis Scopulum, præcipitantiam inprimis; nam ut malè cuncta ministrat Impetus ex Oraculo Papinij, sic & consilia, quibus nihil magis inimicum quàm celeritas; eò quòd

sola

ſola pænè ſcelera impetu, bona conſilia morâ valuere: nec alter bonæ Conſultationis Scopulus Tibi nō horrori, rei privatæ ſtudium; qui ex adyto Patavino didiceras, quantùm privatæ res ſemper ſaniorib⁹ conſilijs obfuerint, adeoque peſſimum veri affectûs & judicij venenum ſit ſua cuiuſque utilitas. Suaſiſti item non quæ ſuaviſſima, ſed quæ ſaluberrima; cujus virtutis inopiâ laborare magna faſtigia, Placentinos præhabentia Veronenſibus, nimiùm quàm didicimus & ingemuimus. Tua certè

- - attonitum iurare in Verba Senatum
Vidimus, & doctis ſubſellia plaudere verbis,
Seu pacem, ſeu bella iubes, ſeu congrua rebus
Decernis, Sceptriſque caves: ſeu partibus æquus
Arbiter, obſcuris ſeu iudex litibus unus
Accedis; Primus cenſes, quod cernimus omnes.

Quòd ſi turbo domeſticus malaciam Patriæ ſuppreſſit; Tu illi ſidus beneficum ſæpe in turbido illuxiſti. Teſtis eſt illa, quæ Sarmatiam non leviter concuſſit procella, dum Faſce Iagellonio regni fortunam complexo nova in milite coaluêre vincula, quibus laxari potius viſa, quàm adſtringi libertatis iura; & ſi quando, tunc libertas in licentiam evaſit. Exhorruit illa ætas Aquilas in vinculis, quibus toto cælo liberè frui ius naturæ dedit, cùm arma Lechica in ipſius Patriæ viſcera centuriari, detrectare Ducis imperia, Regis edicto armis obſtrepere, ſacra & profana nil penſi moderatique habere, ſtipendium virtutis rapinam facere. Sed tunc Poloniæ fatis erat ad reducenda tranquillitatis publicæ alcyonia Te poſt alios depoſcere, Tuoque arma conſilio temperare: Nec placuêre fædera, in quæ Scelus ſæculi conſpiraverat, poſtquam Tu Pacis Orator fulgur Orationis in minaces manipulos diſtrinxiſti. Nimirum facile frangit armorum pervicaciam exarmatq; Orator hujuſmodi vel à Perſona, vel à grandioris Suadæ adminiculis, cui etiam in Vincula nodoſque Gordijs implicatiores Eques gladium gerit Cataphractus. Quid cùm nuper Ottomanicus fragor intonuit, & illatis ultra Tyram Iſtrumque ſignis Luna Turcica Orbem cornibus interceptum hauſtâ Podoliâ complevit, & adhuc domeſtica Patriam lacerarent diſſidia, ut tunc pacis domi interceptæ fiduciam mærenti Patriæ inieciſti Pacis publicæ Princeps! Imperas, non ſuades animorum fædera, cùm animorum divortijs auctoritatem Principis miſcuiſti: nunquam amænior publicam tempeſtatem ſerenitas diſcuſſit excepitque, quàm dum me-

 dius

dius partium intonuiſti. Nempe etiam Tua *facundia vocibus aures Fulminat, illa animos ac aſpera corda triumphat.* Sic Tibi Pacis ſtudia inhæsêre, & quòd hàc tempeſtate, quòd aliquando te ſpirante Pax coaluerit, Tuæ ſunt thaumaturgæ in animis facundiæ viva prodigia. Vbique Tuus Eques non gratuitò in arma Gentilitia immiſſus feliciter rem conficit, alibi bella, domi æterna partium fædera: excubat is pro aris pariter ac pro focis, nec illi ignava ſtatio vel ſtagnans inerti otio quies conceſſa, quin curſum conatumque in publici boni momenta ſolertiùs impendat. Hæc ille poſt laudis Famæque decurrit Olympia, & cùm in hoſtico ſæpe incurriſſet in laureas, domi in oleas pacis diuturnæ interpretes & præſagas; vix veſtigium ſalutare terris imprimere, vix paſſum ullibi aſſuetus defigere, quin defixa in bellum tentoria convolvere, ac vaginæ ferrum reddere perſuaſiſſet. Sed civilis togatæque facundiæ lumina in Te majora ſunt, quàm ut hoc illa capiat cælum, nedum pagina; & cuneata virtutum acies Oratoris aciem percellit inſuper ac hebetat tantis fulgoribus inaſſuetam. Id tamen in ijs etiam vix patienti magnæ lucis palpebræ datur cernere, quàm altè illas inſons animus provexerit, non eas humi reptabundo paſſu patiẽs ſublime fugere quin eas in arduũ proferret, illarum non tam æmulator, quàm idea; ita intentus ſingulis, ut morem geſſerit univerſis. Hic tibi trames honorarius, hæc in ſublime Appia; non ambitus ab animo æternâ modeſtiæ lege proſcriptus. quamvis pleriſque Honor ambitionis pretium, aut publici queſtûs merces; nec Virtutis nutrimentum, ut Valerius ſenſit, ſed ambitûs ventoſi eſt pabulum; qui aulæ obſequijs mercantur culmina, & ſuæ magis ambitionis mancipia, captant auram, dum afflet Favonios; nutui Principis ſic intenti, ut non imperia magis exequantur, quàm ſperent; ſerviunt, ut dominentur, & prenſare, nutum imperantis obſervare, arrogantiæ ſtudia ſunt, non parendi. non illos prẽſat honor, ſed illi ſubdolo aſtu illum invadunt, & quamvis obliquè jaculentur, huc tamen votis ſedulò collimant, imò & faſces gerentibus fata votis accelerant, & velut vultures cadaver alterius, qui hos geſſit, expectant. fitque ſæpius, ut cæca regnet ambitio, & immeriti faſces capiant, ingemiſcente ad ſui ludibrium virtute, quòd illi præmium intercipiat ſuo vitio felix ignavia. At nobiliùs in lucem evadit, quem in arduo ſiſtit probitas, quæ nec aureo piſcatur hamo, cui timuit Auguſtus; nec fumos captat, quod oderat Severus; nec

vena-

venatur insignia, sed meretur. Te, quisquis es, requirat honor, te pulchrum transfugam pulcherrimâ contentione insequatur, & purpura nil tale agitantem opprimat: violentum est illi, si fugias: atq; ut non amat pectus, ubi nidum vel domicilium struxit ambitus, sic hæret libentiùs, unde pestis hæc exulat. Te verò, Dux & Antistes Illustrissime, nulla honorum fames sitisque pulsavit, ut plerosq honorum Tantalos, quos inter hæc obsonia, quædam dignitatum Sagina & pænè ingluvies delectat, perinde ac si in Oceani naturam abijssent, cui tot fluminum gurgites absorbenti nihil temulentiam implet, nec unquam mari sobrietas nomen parit. Culmina Tu non aliter aspexisti, quin præceps ex ijsdem cerneres tantò crebriùs, quantò plus de fastigijs insedisses. Nihil à te actum, ut emergeres; tantùm meritis insudasti, de illis securior, si sola hæc ad præmium vocarentur. Post nuperrimum Pontificis fatum eras perinde ac si viveret: non eras anxius, quis sacrum indueret diadema: nec votis illuc aspirare libuit, quò meliùs pertingunt merita, quàm vota. Aderas præstò, cùm alterius fata alium ad mitram poscerent; at Tu nec instare officijs, nec blandiri suffragijs, etsi cùm dignissimus posceretur, facilè unus occurristi, contigitque ut Pontificios fasces præriperes, cùm eriperes nulli, & sine cursu te videres in culmine; atque in umbra illustrior appareres, hoc uno jam maximis maior, quòd superior esse per ambitus odia refugeres, alienior ab eorum fastu sensuque, quib⁹ quòd nascendi conditio sudum gloriæ vel apricum honoris spondeat, deberi sibi autumat, quæ celsissima, imò ambitiosiore voto arrogant, quàm illa natalium benignitas patiatur. At ipsa hæc animi moderatio regnatricis Ecclesiæ sibi ius transcripsit, atque illa in Clero & infulis eminentia Tibi virtutis debitum, ut favor compluribus videbatur. Non sic tamen Tuæ virtutis præconium consectari intendit Oratio, ut audeat pleraque inficiari, quæ in Pontificale fastigium te illustri pompâ deduxissent. Erat præstò Principis regnique in Te Studium, quod raræ, quas domi forisque collegeras, dotes accenderāt, per totū Poloniæ corpus pulchro hoc gliscente ac invalescente incendio: Erat Magni Prædecessoris Tui inclusa literis antemortualibus Oratio, quâ Te à Regum Serenissimo Cathedræ, suo mox viduandæ obitu, deposceret. Tantùm adhuc valuit etiam attritâ valetudine, ut in postrema lucta, cùm pro laurea suprema æternaq; ageret, etiam pro Te non cunctabunda Præsulis auctoritas luctaretur.

 tur.

tur. Nam poſt immortalia, quibus Patriam implevit annoſque diſcrevit, facinora, illud etiam ceu æternaturæ in Te obſervantiæ arrhabonem reliquit ad mortalitatis confinia devolutus, ut Te ſupremâ in regno purpurâ cuperet inſignitum; non neſcius, quantùm ad immortale muneris exacti honeſtamentum momenti afferat continuata ſacroſanctè ſucceſſio. Sed neque potius eſt lenimentum doloris de Magnorum luminum occaſu, quàm nova rurſum oborta ſerenitas, veluti non interruptæ lucis hæres ac interpres. Erant inſuper præſaga plurium vota, quos in poſcenda Tuæ fortunæ auctoramenta ingens ille Tuus, & ſolâ modeſtioris animi opinione minor, meritorum fulgor impulerat; ut nempe graviùs urgent, dum obtutibus illabuntur, ab animo extra emergentes radij, nec ſolidior ſuadelæ ratio cuiquam ineſt, quàm ſit eminens in purpura illuſtrìs animæ moderatio. Et nonne his votorum internuntijs populorum vocibus, nonne Cælorũ imperio ſubſcriberet Regum Providentiſſimus, illud etiam ſuo gratulatus ſæculo, quòd illud Sanguinis teſtimonio Principes adhuc evehat vel ad ſolia Regum, vel Pontificum, noveritque tùm ſanguinis merita penſare, tum virtutis. Illuſtris meritorum fama naſcenti adhuc Fortunæ Tuæ, Archipræſul Celſiſſime, poſtulabat à Republica illos etiam Honores, quibus aliorum non niſi feſſa iam ætas, poſt longas ſeraſq; ſpes, præmiari ſolet. Pridem & publica Vota ſummo conſenſu recludebant Tibi ſacratiora iſtius Pontificij adyta, cujus religioſâ majeſtate cæteras prœemineres Inſulas. Quid enim in eo graviorem annis exſpectarent ſenectam, qui & in ipſam prætextam civile Virtutis ſenium tranſtulerat? Quid in illo canos ætatis inclinatæ requirerent, quem provecta iam Virtus ſatis maturum ſummis Honoribus, & quantæcunq; tandem Fortunæ capacem, aſſerebat? Equidem haud me latet, Maxima non ſemel, neq; vnâ operâ naſci: & quemadmodum tempora diutiùs mortalium ſpes ac deſideria ſuſtentant, donec illis ſeculum felix pariant; ita nec Fortunam momentò proferre, quib⁹ duraturam velit ſpondere perennitatem. eò quòd ſubita terreat evaneſcendi periculum, & præcox felicitas repentè concidat. Sed æquũ erat ab his humanæ felicitatis legibus Te non pendere, in quo nihil unquam niſi ſummum videre eſt. Atq; adeò meritò liceret conqueri, vota noſtra in Te proclivia tamdiu protracta fuiſſe, & ſuffragia Regnantium in ſupremam Tuæ Virtutis inaugurationem moras admiſiſſe:

miſiſſe:

misisse: nisi veniam facilè acciperet Honoris tarditas in Te serius, quàm in alios benefici; non quòd pridem Te primum summumque ad Gnesnensium fana Principem non ambiret; sed quòd festinantibus aliorum fatis præcurrendum duceret, ne brevi terris abripienda illorum virtus irremunerata excederet. Præsagium id Poloniæ fuit, eos non diutiùs ætatem in fascibus attrituros, quàm ut Tui honoris prodromi honorariâ perfuncti actione Tibi viam præsternerent, cùm ipsi in perennitatis adyta fatorum violentiâ urgerentur. Sic amica illorum immortalitati cæli edicta de illis sanxerant, ne sine pulchro titulorum satellitio & illustriore nominum pompâ Divorum cætibus immigrarent, & morâ passa dignitas te securū redderet de serò quidē capiendis, seriùs tamen dimittendis fascibus, quos illi ut manu meritâ apprehenderant, sic fato præcoce dimisissent. Nec illis spatiū ætatis arctiori intercapedine non descripserant, nec Tibi liberalius ævum non promittere videbantur; pulchrius ducente Cælo ætatem vivere utramque, si & Tuam illis florentibus degeres, & inter virtutis honoraria excederes alienam. Quanquam nec id sterile laudis argumentum est, tantos ad clivum hunc clavumq; antè præmittere, & adhuc tanta inter nomina velut Colossum Solis Rhodium eminentiorem videri. Id mihi demum triumphali in Capitolium viâ nobilius iter, quòd cùm Sacra passu beato vestigia detriverint, adhuc gressum grandiorem excipiat. De Te verò dubitare fama, & arcana mentium nequivêre auguria, quòd prævius tot Antistitum in ceris meritisque fulgor nil de tuo decerpere potuisset, quin luculentiùs inter illa etiam terrarum sidera reluceret. Nihil Soli præcurrentis auroræ cunabula, & illustre noctis Lunæq; choragium de serenitate delibat, quòd cùm sic prævijs in cælos facibus invehatur: imò comitatus hic siderum aut præcurrens lucis satellitium militat illius gloriæ, augetque astrorum Principi pompam, etiam dum extinctâ diurna lux sepelit. Sed affulserint sanè evolutis ante sæculis primi Gnesnæ Antistites cognatâ solibus Majestate, non aliunde iustiùs Solis nomen meriti, quàm quòd occasum evadere nequiverit eorum celerior exortus: neque Tu tamen Phosphorum duntaxat post Soles dabis, ad quem par illucescendi necessitas iure successionis cū munere devoluta. Præivit ergo honori Tuo, Dux Celsissime, trabeata Gnesnensium Patrum series, ipso ADALBERTO Duce. Præivit Tibi hic Gnesnensium Archipræsulum Princeps, secum-

ſecumque inſignia, quæ Tu etiam capis, in cælum detulit; & cùm è ſtirpe Roſeorum oriundus Floridam Cæleſtem teneat Botůſſiæ veteris impulſu, etiam nunc triumphalibus in agone lanceis remiſque (nam & hic Romulus non abſque remo) Viſtulam Tiberimque per Romanæ Fidei commercia coniungit. Nec velitanti Oceanus defuit, quem cælo & fidei litatus cruor diffuderat, ex quo etiam murex ille, qui Pontificiam tingit purpuram, colorem ducit, & in pulcherrimam cum Cæli purpuratis affinitatem Summos ADALBERTI Succeſſores inſcribit. Succeſsère bis purpurato Principi grandes Animæ, & cùm in pares evaſiſſent faſces virtutis indicio, pari pænè animum inſtruxère, Poloniam religione imbuère. Nā vt antiquiora non evoluam: Præiviſti Duci Maximo STANISLAE KARNKOVI, & cùm Agnum in Gentis Tuæ Symbolo intuliſſes aris, Leonem dediſti, qui rugitu à Sacris ovilibus palantes belluas, & ab ingenijs ignorantiam arceret; ita meritus de fanis, ut de literis plurimùm mereréris, inter infulas, Apollinares fovēs laureas; dum hoſpitalem beneficentiæ ſinum in Caliſſienſem Atticam Muſis advenis aperires. Adhuc fidelibus faſtis, fidæq; poſterorum inhæret memoriæ & IOANNES LIPSKI, qui execratus decora titulorum mēdacia, nec majeſtate Infulæ dignum ratus, à ſola nominum pulchritudine colorem Majeſtatis ducere, ſolà grandeſcere palmaris vocabuli granditate, ita Primatis induit cognomentum, ut tituli eminentiæ fidem adſtruere non ceſſaret facinorum præcellentia. Vivis poſt funera etiam amicum ſorti beatæ nomen MATTHIÆ LVBIENSKI, qui cùm in pulcherrima ſolicitaret mentem urgeretq; exempla, quibus virtutis publicique boni ſitim accenderet, Pontificali trabeæ ſidus infixit. Grave aliàs id onus illi ſuaviter incubuit, quod gerere ex legum præſcripto, & modeſtiæ à faſtigijs plerumque alienæ noverat, & non minùs Eccleſiæ Præſes Præſteſque, quàm Patriæ Civis, utrique ſe præſtitit patrem, cùm Principem inter aras ritu ſolenniore induiſſet. Tuis etiam cineribus VENCESLAE LESZCZYNSKI, ipſa meritorum immortalitas inducet reverentiam. Vbi enim religioni, ubi Poloniæ Tua non maximum attulit momentum auctoritas? Martis Civilis obſtrepuère arma? tranquillitatis inducias Summus Pacis arbiter perſuaſiſti. nova militem ſtipendijs fraudatum fædera in Patriam armavère? nullam religionem his ineſſe fæderibus, atq; adeò pium eſſe illa laudabili auſu

dif-

diſſolvere docuiſti. Conſilia, ſi quæ ex abdito mentis promeres in commune, Oraculis pretium ademêre, ubi animos flexanimo (qui magnarum mentium ſtylus eſt) dicendi genere in ſalubria impelleres. Inſedit eandem Cathedram & IOANNES WEZYK, ſacrum prudentiæ nomen, nec venena niſi in fidei hoſtem gerens, alioquin Epidaurio angue terris ſalubrius; ut alios taceam, quos famæ claſſicum canit, nec canere deſiſtet; quia diu canora vox eſt, quæ per omnium ætatũ ora ibit. Tibi verò NICOLAE PRAZMOWSKI, quid nõ ſacra hæc purpura, quid poſteri debebũt? quos Tibi tum regni maiore annulo, tum gemini Pontificatûs obſtrinxiſti, ubique ſolida magnæ laudis documenta proferens, *& longo ſplendentis ab uſu* Soleæ, quæ tibi cum ceris inhæſit, ſacrum numero ternionem annis conſequentibus imprimens. Sed quamvis publica tibi mentem ſemper diſtrinxerint, nec feriæ tibi à communis boni ſtudijs obtigerint, illud poſt interregni inſignia & ſerenitatem Interregis tecum infulis obortam tibi fatorum benignitas indulſit, ut Sereniſſimum MICHAELEM cui Cælorum prodigia in regnorum Suffragia tranſiêre & tantam aſſeruêre poteſtatem, in Septemtrionis Lechici regimen initiares. Nec verò non palmaribus accenſebo encomijs, in quæ linguas Poloniæ proſcripto ab illis Harpocrate relaxâſti, quòd ita regnatrices aquilas fatis per ætatum oblivia haud obnoxius reliquiſti, ut ampliſſimè provideres, ne quid luminis tecum atrijs Primatum decederet. Neque iſta nimis anxium Te agitare viſa in ultimis ſolicitudo, eò quòd oculatiſſimo Primatum facilè Princeps occurreret, in quo ſerenitas infulæ novum caperet incrementum. Quare tu illum Votis non ſterilibus ad regnatrices pro more ſub interregnum dum hoc evenit, infulas præfinire, tu primis Reipub. curis immiſcere fæcundum optimi Conſilij Caput, Sacroſancti muneris pignus illi offerendum arbitratus, cuius vires non leves Sarcinæ explorârunt, quibus nunquam ſuccubuit, ut ſub ijſdem fatiſceret. Ergo tot Præſulibus ſucceſſiſti Primas, Principibus Primus PRINCEPS. Iter Equiti Tuo detrivêre antea LVBIENIANI Biſontes Palatinis alibi curulibus, poſt aris etiam & regũ radijs propiores: idem preſsêre iter Vri LESZCZYNIANI, non iam ſilveſcentis ſed mitioris ſæculi præſagi, quo nẽpe nihil in feris etiam ferinum, ſed comis quædam civilitas & cicuratis manſuetior eluceat, nec in aram feritas cum ferarum effigie demigret.

nem-

nempe etiam Polonia quidam terræ Zodiacus eſt, nec à Cæleſti longiùs abit, qui feras etiam inter ſidera reponit, nec pulchriùs à Phoſphoro, quàm à Leone vel Scorpio, innocenti ſidere reſplendeſcit. Poſt Agni KARNKOVIANI vellus, fabuloſo illo Iaſonis longè carius: poſt WEZYKANAM nomini patritoque Schemati irrepentis Colubri effigiem cæleſti Scorpio magis innoxiam: equeſtre Symbolũ PRAZMOVIORVM Soleas earũq; ductum Tuus ſecutus Eques, cui certus ad immortalitatem trames, nec ignotum Famæ trivium, ſeu obliquum, ſeu rectum inſiſtat callem. At fanis propior in victricium armorum induvijs docet armis & aris fædus intercedere, quas hoc ipſo gravior armatura & diſtricta ferri acies deceat, quòd de temporum tot injurijs pæanem occinant, nec adhuc ictus malignitas temporum non intentet. Ad hæc ſi aræ ſanguine operantur, non ſemper ferino vel Divino: in eam defluxêre calamitatem tempora, ut, cùm Lunaticus Turca inſanit, diminuti ſanguinis remedium vertigo hæc expetat & ſacri acinacis interventum. Quamvis & felicitatis Sarmaticæ hinc auguria par ſit deducere, quòd fixum pænè in ea tentorium tot mala cogentur colligere, dum armis tutelaribus intermicant aræ, ſacra mucronem offerunt non ſemel hoſtilibus iugulis fatalem. Quid nempe portenta ſemper cæleſtia terrena exigat imbecillitas, ut cum Nigro Leſcone arma candidum victoriæ omen cælitus petat capiatvé Cælitum Signifero MICHAELE victorem gladium offerente, quo certa laureæ decertet, quando cæli vicariæ parantur ſuppetiæ, & Eques Principis ſemel cæleſti armorum genere inſtructus ſub MICHAELIS Primi imperio pænè hoſtium tabo ſtillantem, iamq; illo ſæpius potum flumine, triumphalem diſtringit in victorias enſem? Quod ſi altaria tacito precum aſſultu velut celatis in victorem dolum cuniculis rem & bella conficiunt, id certiùs Preces armatæ peragent & fæderata ſuperis arma, quibus Eques hic robur patriæ firmat ſolidèque hærede clypeo communit. Hoc præduce ivit in laureas, excurrit in trophæa ſæpius Polonus ardor, non Aquilis ſolùm, verùm & Equiti confiſus, & in hoſtem involare, & decurrere triumphorum ſtadia non ignarus, dum ad armorum gloriam ceu palmariam votorum metam continuato anhelat curſu. Sed recentius omen invehit idem Eques, dum ſua templis præſidia Sacrâ cum inauguratione intromittit, & pro Sacrorum vindicijs ad

Gne-

Gneſnenſe territorium fidam peragit ſtationem. Nimirum nec aram equitatus dedecet, poſtquam & Numina Caſtorem & Pollucem Roma equitare conſpexit, & Antiſtites cælo militare voluit, ſub cujus aquilis in Calvario colle explicatis, & ſub Columbæ Filio Romanis aquilis moderante, perenne dixerint Sacramentum. Et meritò delubris etiam loricatæ ſubrogantur vires, & ſacro etiam paludamento trilices clypei adnectuntur, ut veſana hoſtilitas etiam in Divorum manes ædeſque ſacrilega, intentata Equitis arma perhorreſcat, falcatos enſes Podoliæ nuper auſa immittere, ac Europam Orientalium armorum ſtrepitu exterrere. nam plurimum momenti ad vincendi fiduciam confert cataphracta religio, quæ ſi tamdiu ſine armis etiam triumphat, haud dubium, quin hoſti receptum imperaret, vel funeſtiſſimos pararet exitus, ſi arma efferat. Eſt inſuper, quo Pontificia Gneſnæ dignitas illapsùs in Te ſui, PRINCEPS Maxime, tarditati gratiam apud Te novo colligat argumento. non illa ſic aliorum nomini ſe promptiùs immiſcuit infuditque, ceu ſolos cenſuerit, quorum capiti curæq; æquiùs immineret; ſed quòd Te non antea vellet in tam arduo conſpicuum adorare, quàm plurium terrarum culmina detriviſſes, ubi Te complurium antè profunda veneratio excepiſſet. Per plura Te primò Infulatum voluit ire faſtigia, ne uno duntaxat modo ſummus, ſummiſq; par eſſe crederceris, daturus non humile Tuæ gloriæ argumentum; ubi qvicunq; Maximi morâ honoratiori hæſiſſent, ibi Te pari gloriâ potuiſſe ætatem degere, nec quempiam extra Craci emporium paſſu fortunatiore ima evaſiſſe, ubi ſedem non fixerit Tuus honor. Et verò ſpecioſior eſt plurium Fortunæ pignorum conſcientia, & majorum Faſcium choragio ſtipata dignitas nobiliùs culmen ſubit. Summa etiam regnatricis terræ Numina (quæ hônor velut apotheoſis quædam Divis inſerit, & terrenæ fæci eximit) quòcunque quæſitam à cultu tituliſque Serenitatem invehunt, minores in prævio comitatu Deos ante ſe præmittunt, qui auguſtiorem pompam inſtruant ſecuturis, dum ut prodromæ ſiderum faces orituro ſoli, ſic illis tenuiorum Numinum ſatellitium antecurrit. Et avebant minores Infulæ (quæ tamen tanto illapſæ vertici minores eſſe deſiêre, vel inde primis proximæ, quòd in Te Principem incidiſſent) avebant, inquam, in emeritũ hoc, nec tam ſenectæ, quàm virtutis præmaturæ inſignibus decorum caput aliquandiu reclinari, ut illis antea

D nati-

nativam tot luminum gazam & patriti ſplendoris inferres æraria; quàm inclytam Eccleſiarum Ducem auſpicatior adires, illique totam venæ divitis nec parcæ munerum infunderes; non quòd Gneſnæ id gratiæ inviderent, ſed quòd etiam eius tantillum quantâlibet morâ inditum ſibi peroptarent, & ſuprema quidem in longius duraret ſenium ſacramque Principis cæſariem honeſtaret, illæ autem florem vernantis ævi præambulo colore purpurarent. Aſtrorum quippe ingenium inſulis Sarmatiæ ſeſe inſinuat ac ingerit, ut quædam uno conſiſtere gradu & in perpetui motûs unâ ratione fixæ videantur, ertaticam aliæ mobilitatem cum ſtellis traxerint, nec uno lucem ſpatio defigi patiantur. Et placuit hæc in Principem ſtudia non unius Eccleſiæ præcogitato coronare exitu, atq; tot urbibus ante Principẽ in aris Gneſnam Sacrum inferre Caput, nec lucis ingenitæ immenſitatem unius loci violentis arctare anguſtijs. An enim unum orbis angulum terat, ibique umbraticus ſqualleat, cui Orbis ambitum pro meta deſcripſit vaſtior immenſæ mentis capacitas & facinorum amplitudo? Pugillo includitur ſola rerum tenuitas, & vix Iſthmi anguſtias occupare audet, quæ vaſtiorem ſeipsâ implere nequeat continentem, eò quòd uno bene colligitur loco, totamque illi ſuæ fortunæ copiam includat. At Tua patet in immenſum magnificentia, & arctum refugit quantumvis ſub Arcto frigidâ, quin ſe latiùs in plurium ſolatia & illices oculorum delicias diffundat, ſcenamque Vrbibus conſpicuam ceu Roſcius indùcat fulgor. Infra priſtina æquitatis iura Ducibus geniales gratiarum ſinus panderet ancillatrix Ducum fortuna, ſi vaſtiùs per Orbem circumferre inditas magnæ menti opes nequeant, & unius municipij limine tota illorum exhauriatur excellentia. Atomi eſt tantùm in radio, non alibi apparere; at maximæ moles ultra hujuſmodi radium proferuntur. Sol ipſe ita occupat in excentrico ſummum, ut (quod benè oculata Matheſis vidit docuitque) etiam infra ſummum in apogæo conſpici non recuſet, & citeriùs effulgeat, antequam ultramontanis oriatur; denique non ſic ſuperiori cælorum hemicyclo radium inferat, quin etiam illum infra Antipodûm ima deprimat quâdam demiſſione Majeſtatis (nam & Sereniſſimo planetæ ſua Maieſtas ineſt) ut jam in Solis ipſius morem conceſſerit innata & Tibi Serenitas, cujus uſuram Maxime perinde ac minoribus Cathedris impendiſti; quo ipſo ſatiâſti famelica urbium ſtudia, quibus ſub tali Præſule vel momento vixiſſe

iactan-

iactantiam parit ſæculis invidendam. Et verò ſi primo fortunæ impetu & meritorum ductu primum eundemque ultimum honorum tenuiſſes, nihil ſequacibus annis reliquum ſupereſſet, quod Tuis creſcentibus in dies meritis afferret honorarium. Illuſtrius quidem eſt ſummum ſtatim capere, quod poſſis, quàm infrà lento gloriæ paſſu antea demorari; sed lenta magis conſpicuo meritorum diſcrimine graduque prenſant faſtigium, & ipſa in honoribus cunctatio Fabiorum gloriæ longè anteſtat, cùm & meridiana lucis diurnæ maturitas quædam nitoris crepundia intra ſurgentis auroræ cunabula patiatur. Hærere proinde Tibi placuit in primis, antequam micare contingeret in ſupremis. Quare inſiſtet gradibus & Tibi vectigalis Oratio, quibus Tu in ultimum eluctatus pæne ipſam honorum augem paſſu emerito attigiſti.

Nam inprimis

Per Alpes dum Carpatum reviſis,
Româ reducem Cracus Te proniore Vavello colle excepit.
Hìc Equiti Tuo poſt ſtativa illa Sapientiæ prima ſtatio.
Româ nil extuliſti præter Lauream Doctoris.
Hanc ibi decerpunt ingenia, quæ triumphant.
Nam triumphata ruditas pulcherrimam Laurum parat.
Sed Tu inſuper,
De ingenijs ac exterorum iudicijs triumphâſti.
Nempe Sapientum hæc laurea non doctos adornat
Sed doctiorum coryphæos.
Odit imbelle ingenium planta hæc triumphalis.
Et pulchrum eſt à Roma Lauream exegiſſe:
Victum ſe fatetur, qui herbam porrigit.

Plerique tamen

Cum alia omnia trahant ab Exteris,
Seipſos inibi relinquunt;
Ita moris alieni, ut Polonum exuerint, cùm perficere cupiiſſent.
Tu Cracoviam intuliſti Principis dotes non è Tyberi hauſtas,
Sed prope Iſtulam.
Illis nil addere potuit Roma, omnia in illis ſuſpicere.
Gaviſa Craci Regia,
Se ab Italia jam alterum recipere FLORIANVM,

Et utrumque non ſine Laurea:
Niſi quòd Te non urbis pomærio,
Sed totâ ſe excepit amicior huic Nomini.
Clero Principis ibi Eccleſiæ Te inſcripſit Canonicum,
Cùm poſſet iam Præſulem.
Acceſſit illuſtri Sacerdotio nova Serenitas,
Quòd illi Principum fulgores miſcuiſti.
Et profuit infra meritum ſic hæſiſſe,
Inde STANISLAO Præſulum adyta patuêre.
Satis erat locum Te Sancti Antiſtitis occupâſſe,
Qui vel Antiſtites locus inveniret, vel faceret.

Tamen

Non illæ Tibi contigerunt Infulæ,
Quòd his ſæculis Audax deeſſet,
Nec Severia quidquam in miti Indole ſui nominis agnovit,
Cui molle FLORIANI Nomē afflavit lenitatem.
Sed urbis animos rapuiſti, dum ab Infulis abſtineres.
Vbique Tibi Cathedram obtulit,
Si redivivum audire Chryſoſtomum voluiſſet.
Nullus voluit Chryſologum,
Vbi aureo torrenti cæleſtis eloquentiæ inhæſit.
Nullus Bernardum, dum mella Os funderet.
Famem audientibus injeciſti,
Quoties fama peroraturi percrebuit.

Patuit Romæ

Cum Tullio Te fœdera iniiſſe.
Nec minorem eruditio plauſum retulit quàm ſacra facundia.
Docuiſti non Sacra tantùm roſtra fulminare,
Dum gemmas in animis Cælo pariunt:
Tam lingua quàm ingenium Tibi fulmen geſſit:
Vtrobique Tu Iupiter metu ingenia perſtrinxiſti.
Sapientum circuli Te arbitrum requirebant
Si lites ingeniorum meliorem Paridem exegiſſent.
Prima illis quæſtio de Tuo Nomine.
Nec Tu doctiorum conſortia fugiebas,
Inter quos Tu etiam PRINCEPS.

Pul-

Pulchrior ipsa Equiti Tuo ingeniorum quàm armorũ velitatio.
Certè lauream benè, sudantis ingenij humor alit.
Et valuisti mentis acie, vires expertus cum Angelicis.
Seraphicæ Scholæ pugiles adortus
Nemine cogitante Subtilibus castris acumen infregisti.
Theologico Soli addidisti lucem, si fulgur ingenij protulisses.

Sed

Dum imples urbem encomijs ;
Implevisti Poloniam famâ.
IOANNES CASIMIRVS offensus Virtuti quòd lateret,
Ei latebram abstulit.
Nam Ducum modestia, ut nubes, facilè in Solem emicat,
Nubisque nomen retinens, re ipsâ merus Sol est.
Si lumen violentè premit,
Nec ista violentia, ut omnis, diuturna.

Ergo post illustres latebras & laureas ivisti ad infulas, PRINCEPS Celsissime ; à Doctorum exedris, ad Petri Cathedram, quam Posnania Majoris Poloniæ caput offerebat, ne alibi honor Principi adstipulari inciperet, quàm in supremæ vicinia potestatis. Audacter prima hæc in Te honoris facta impressio, sed docuit Te Cracoviensium Antistes STANISLAVS Audacem non timere, ubi Cæli suppetiæ præstò essent. Nec regiam Craci urbem tutelam insignibus regni præbere solitam pulcher hic honoris assultus terruit, quin raræ voluptatis sensus perfuderit, quòd è deposito apud Cracum Lechiæ thesauro peti Gemma Præsulum debuisses. Hæc ergo Tibi primordia infularum, hæc præcurrẽtia ad Gnesnensis Aquilæ nidum auspicia. Primus inibi Petrus Romana Tecũ approbavit commercia, compertamque in Vrbe Vaticana indolem suis aris addixit, suæ cursum Liburnicæ cæli favoribus velut quibusdam Favoniorum flabris sub magnæ mentis gubernaculo committens, cùm adhuc Remum ADALBERTI oneraria pernegaret. At Tu interim moderari fluctibus, & contra myoparonum insultus (si qui fortè in classem impingerent Te Typhi perbeatam) illustrem inire Naumachiam, & nil minùs quàm naufragium beatioris gazæ vel modestiæ ad clavum positus formidare. Siderum ductu Argonautica non egeret, si talem illi Castorem cælum accenderet. Præeras Tu quidem urbis cultissimæ aris, sed moderatione animi humilium morem fortu-

namque visus es anteire, solàque eminere comitatis sine supercilio amænæ suavitate, non perinde ac plerique, quibus simul ac in alto constitêre, nulla comitatis indicia, non lene supercilium; sed ex quo fastum intima pars animi repentè bibit, ex abdito intendit reverentiam ambitiosa dominatio. Famem Tibi ut nulla potiùs irritaverant, sic nec explevêre citiùs quàm Divini cultus incrementa; oculum animumq; hilaravit non dives domi ærarium, sed sacrorum reverentia fanorumque nitor. Erat, quod in Te Cleri pietas suspiceret, adoraret vulgi religio, cùm non solum felicioris pompæ satellitium, sed frequentia virtutum Tibi latus clauderet, nec sine tam beato sacrarum mentium comitatu per Vrbem incederes Palatinam. Sed iam adstricta facundiæ ratio primæ infulæ de umbris modestiæ triumphanti superaddat velut epinicion.

Mitræ infulam sociare nòrunt merita.

Aliàs sæpe hanc refugit Mitratus Splendor,
Nec aræ ignibus quidquam debet.
Misera lucendi ratio,
Si non melius est è cælis ignes deducere
Quàm à ceris, quæ solem pati nequeunt, quin emollescant.
Quasi Principem quis exueret,
Si DEVM pænè ad aras induat.
At ex Ovium etiam lana fit Regum Ducumque Purpura;
Vt illi videatur Pastor esse propior, quàm PRINCEPS.
Te neuter præterit fulgor, ô PRINCEPS.
Et in Mitris radias, & Infulis consecraris.
Purpuram Tibi & Sanguis indidit,
Et laticlavius in Sacris Honor.

Latior clavus est,

Dum ad Petri Clavum sedisti.
Prima Tibi patuit Posnania
Et Geminâ Clave, urbis & pectorum adyta reseravit.
Hâc Principum Gemmam decuit sub Clave reponi!
Et Petri Cathedram id insigne decuit.
Nisi quòd Petri Claves aditum Tibi ad altiora non præcluserint.
Noveras eius classem regere:
Remum Tibi Romulus dedit, cùm Sapientiâ mentem Roma imbuit.

Secu-

Securius illa præstat remigium,
Et Typhi potiore non eget, quàm ubi gubernat ratio.
- - *Vitreo daturus nomina Ponto*
Qui cum Icaro tantùm ceris nititur, nec ultra sapit.
Sorbetur fluctibus ratis naufraga, nisi anchoris eā firmet Prudentia.

Imò

Amant & doctos Infulæ,
Quæ mentem coronare ambiunt, non Capita.
Bene item convenit Doctoris annulo cum Pontificio:
Vtroque immortalitas desponsatur,
Ac sæpe hic ex auro Circulus Vitiosus est,
Nisi pro gemma in eo fulgeat Virtus & Doctrina.
At Tu non Sacrorum tantùm, sed & literarum Antistes:
Tali eguit illa non rudibus exculta ingenijs Diæcesis!
Alia dari postulat Dignissimo,
Hæc simul & Doctissimo.
Nam hic Templa non tam auro, quàm doctis Curionibus coruscant,
Quibus nobilior Sapientia mentem inaurat.
Rarus hîc quem non excoluerit Aristoteles, non imbuerit Aquinas.
Angelico Duce aræ ministeria injêre.
Nec rude regimen,
Vbi Sapientum examina ad Ecclesias consederunt.

Nôrat

IOANNES CASIMIRVS
Quod Majori Poloniæ Caput in Sacris præficeret.
Non tam ille subscripsit Sanguini,
Etsi naturæ calculi ad gubernacula pulchriùs cū Virtute promovent;
Nec Nomini,
Etsi dum in Te CASIMIRI honoraret Nomen,
Suum pariter coronaret;
Quàm meritis, quæ Candidatos ad purpuram sæpius sola scribunt.
Nil de hoc virtutis honorario delibavit ambitus:
Solem & publicum refugere videbaris,
Cùm in Solem incurristi,
Et umbra te protulit in apricum!

Et Tamen

Cùm à Te procul ambitus foret, Omni-

Omnium Te ambiêre vota, depopoſcêre Cathedræ.
Et viciſſent, niſi Petrus tibi vincula injeciſſet.
Hæc meliorem Prometheum catena Poſnaniæ velut Caucaſo affixit:
Neq; ſenſim repere per minores clivos decuit;
Summis faſtigia viciniora ſunt;
Nec Equitem reptabundus addecet paſſus, ſed curſus.

Sane

Ita Divinos Poſnaniæ faſces prehendiſti,
Vt obtuliſſe illos Suffragia non puderet.
Sacrum iniiſti Magiſtratum ut Princeps;
Rexiſti, ut PATER;
Et cùm alij faſtum à faſtigio non ſecludant,
Eâ Tu comitate egiſti cum ſingulis, ac ſi par eſſes & minimis;
Ita ſe in Principe noverat diſſimulare Majeſtas.

Sed non diu Te is tenuit Eccleſiæ Principatus; minorque fuit Poſnania, quàm ut immenſam Principis caperet dignitatem. ut nempe arcto teneri neſciunt, quæ ſe latiùs diffudêre: Pomeraniæ Te apex requiſiit, cui gratior illuxiſti, per infulas præmia virtutis promovens ad infulas altiores. A Primate hic tertius vertex eſt, qui tamen ſi more uſuque Majorum ad Gneſnenſis tiaræ verticem, proximum nō offerret gradum, nec viciniā primæ in Lechico Clero Celſitudini; adhuc Te Antiſtite in eam aſſurgeret granditatem. Et meritò ſe Tibi permisêre Cujavienſes aræ, cujus in purpura eruditio, armiſq; triumphalibus inſtructus Eques hydræ inibi multorum Capitum ſectarumque feraciſſimæ ictum Lethalem imprimeret, quem ſub hoc Alcide pavida expectabat. Adhæc Heroam virtutem una non ſatis coronat infula: nimis anguſta ſit neceſſe eſt, quam unus implet vel adæquat Honor. Non premit hoc pondus erectam indolem, quā ima deſerere, ſummis inſiſtere apex quem vel ſemel tenuit, iubet. Imò pigmææ virtutis & animi argumentum eſt, non poſſe creſcere. Iaceat, quod humi affixum, cælum capite pulſare deſperat; ſed ignea mens ſurſùm agitur, donec cælum & Sphæram igneam attingat. Dediſti Tu vigoris ignei documentum, Principum Honoratiſſime; in alto creviſti, & alta non ſatis Tibi mentis quendam Olympum extulêre. Infula Tibi una gradus alterius fuit; nam per ſublimia inceſſiſti, ut amat virtus ardua; & Giganteis paſſibus ipſe apex pro limine

mine eſt. Gratulata inſuper ſibi non infelix Cathedra, Tecum illuſtria Principis adducta ſibi auſpicia, dum illi PRINCEPS in infulis offulſiſſes. Sciebat quidem raro diuturna eſſe in hoc apice, quæ maxima; id tamen intra gloriam eſt hujus Celſioris Cathedræ, quòd & maximæ ſit prope contermina, & ad illam trabeata hæc Nomina tranſmittat: pulchrum verò iactantiæ genus parit, iam Summates aliàs, ulteriùs ad ſumma promoviſſe. Exprobrare poteſt maximo relictus Honor, ſe illi Principem ultro ceſſiſſe, atque adeò à ſe datum hauſtumque, quod maximo faſtigio lucis ampliſſimæ copiam intendiſſet. At Pomerania plures ſupremo Principatui tranſmiſit, quæ cum illo Te prima acceperat. Si hinc ad Summũ aſcenditur, nunquã inſedit dignior, qui hoc ſolio gloriæ potiretur; ut proinde per annos conſequentes itura ſit Pomeraniæ gloria, quòd Gneſnam planè Cæleſti pignore, dum tanto Sacrorum Præſide, impertivit. Et longiùs Te ſecundus hic, ſed primis finitimus moratus apex, donec aviti Principum ſanguinis obſervantius ævum caput efferret, quo Ducum gentilitiæ, cum partis induſtriâ, dotes vel regna caperent, vel regnis gemina Pontificum ornamenta. Eſt tamen cur querimoniâ Poloniæ aures laceſſam; quòd cùm totum effuderit in Principem bonorum cornucopiæ, exhauſta iam penitus gerat æraria præmiorum, ut nihil reliquum ſuperſit erubeſcendæ Imperij hujus egeſtati, quod Virtus rapiat ſtagnare neſcia, quin continuò ad grandiora, nec ſemel Primi Principis meritura decus facinora grandiori procurrat paſſu. Vnicus hic regni Clivus eſt, quo ſumma, perinde ac ſummis majora extollit acta immortalia, quibus licet neſciat metam præſcribere neſcia modi terminiq; Virtus, non tamen ulla continuis eius augmentis remuneratio ſit in promptu. Huc ergo Te purpurati honoris præcellentia erexit, eam Tuæ intra Patriam fortunæ indidit ſtaturam, ut tanta cùm evaſerit, creſcere ultra non poſſit. Inter Proceres quos Sarmaticus de genu colit Septemtrio, nulla exſtat grandior Proceritas: ad Summum iam dignitatis præmijque pertigit, cui huc pertingere ſit conceſſum. Augebis merita, & nulla reſpondere præmia palmaribus geſtis poterunt, queîs penſentur. Vtcunque nemo gratuitò bonus eſt, nec ſatis illi ex conſcientia merces penditur; Tibi citra ſpem honorariæ mercedis haud mercenaria virtus ſpectatorem nacta Orbem & pro theatro Poloniam, plauſu poſteritatis & ſpectantium ſtupore tantùm excipietur, non præmiatrice laureâ vel hono-

rum ſtipendio reponetur. *Ipſa ſibi Virtus pretium* erit: *Solaque latè Fortunæ ſecura nitens, nec faſcibus ullis* erigi poſtulabit, *Divitiis animoſa ſuis, nil indiga laudis* & honorum, ſola ſibi futura præmium, ſola merces. In terris præter uberrimum gloriæ vectigal & famæ præconia nil ultra ſperet, niſi quòd illi obæratior futura ſit geſtis immortalibus non impar æternitas, cui ſeſe totâ penuriam gazæ terreſtris ſupplere incumbit. Vivet ergo ſine ſtipendiorum illecebra, vel inhiante illis ſtudio, Cælis ſtipendiarius Eques Tuus; & dum ampliora laudum Olympia felici emetitur gradu, Olympum in præmio feret. Quamvis tamen hæ tot decorum capacem animam non ſatis implent infulæ, illas nihilominus patere, dum excuſſo Poloniæ ſinu nil ultra ſuppetit, quod in bilancem alteram poſſit ire, & cum meritis in æquo conſiſtere. Tibi hoc ipſum imputa, quòd quidquid adventitiæ lucis Tibi adijcitur, ab umbrarum confinio propè abſit. Ingenita menti non humile quid agitanti celſitudo, quâ terras evaſiſti, ſupremis etiam culmen abſtulit.

Ergo ſummum obtine,
Augem honorum occupa, quam mereris.
Quidquid eſt culminis, à Te ſumet faſtigium vel augebit.
Licet non ultra Tuam, certè ultra omnium altitudinem hîc emines.
Si altius quid requiris,
Poloniam hîc, non Romam, eſſe cogita,
Vbi ſat evolavit, qui paris faſtigij fiduciam ſuſtulit univerſis.
Solus toto vertice ſupra es.
Hîc tandem honoribus inſcribit Polonia,
NON PLVS VLTRA.

Magna hic præceſsêre nomina;
Sed Tu non minor veſtigia & ſubſellium idem teris.
Illi hoc priùs, non Te feliciùs attrectârunt.
ADALBERTVS primò Roſis præſtravit iter:
Sed Roſis regnatrice odorum fragrantiâ
Succedent Lilia CASIMIRI.
Talis Roſeo Archipræſuli ſuccedat Candidatus.
Agnum etiam hæc Paſtoritia dignitas tulit,
Qui Amaltheæ cornu in Caliſſienſem Atticam effudit.
Sed fulſerit quondam in hoc Zodiaco tam mite ſignum;

Non

Non balatum hæc belli tempestas exigit, sed equitatum.
Post Soleas ergo Tuus Eques subit;
Qui nempe quidquid calcaverit, laurus fiat.
Subit, inquam, armatus Eques,
Vbi fulminatrices regnabant Aquilæ.
Generosa utrique signo indoles;
Nec Aquilæ horrent equitatum,
Et Eques sub Aquilis in hostem provolat.
Ita ferrea poscit ætas,
Equitum alæ succedant.
Hæ jam novæ pro delubris excubiæ:
Nam & Religio bella gerit, dum preces armat;
Et tutiùs sub hoc Equite triumphabit.
Cùm his Tu Avorum insignibus succede PRINCEPS;
HONOR VOCAT:
Auctior hic quidem titulis, quàm modestia pati soleat;
Non tamen quàm auctoritas Tua poscat.
Primatis Nomen huic adhæret tiaræ;
Nam sic Aquilarum nidum decuit prævolare.
Regnorum Cunabula decet augustius & vocabulũ & privilegium.
Nulli extra regales thronos cesserit apex,
Qui primos in thronum effudit.
Vix tamen ulli æquiùs Primatis insigne inhæreat, quàm Tibi,
Qui nulli secundus
Vbique primas tenes, nullibi tertias,
Seu Genus virtusque certamen offerat, seu Doctrina.
Absint alia, sufficit Tibi judicium MICHAELIS.
Primus Tu hæres tanti Nominis futurus ei occurristi:
Et prima occurrunt, ante quæ nemo dignior.
Vel si latuisses in abdito,
Etiam per Lunam Te deprehendisset.
Amicum id Tibi sidus erat,
Cujus avitis nitoribus Tuos generis communio sociavit.
Fortiùs tamen egit in regiam mentem Virtus quàm Genus,
Plus illi detulit,
Quàm Sanguini ad regna & alta nato.

Primus ergo Tu vi Nominis munerisque:
Tot inter Proceres procerior tuus apex:
Nec inter Majores novit jam maiores,
Nisi thronum insuper conscendant.
Huc lentiore vestigio pervenisti,
Non quòd haberet tanta Celsitudo, quo cresceret,
Sed quo crescendi terminum inveniret.
Qui enim Principum ceris cohæsit,
Id unicum illi superest, ut sit Summus.
Eras Tu pridem Tuo merito, votis Patriæ,
Sed nunc primùm eventu, qui meritis stipulatur.
Et meruit nomen id Paludata felicitas,
Quæ trabeas Regum tulit.

Ergo

Coronatricem ADALBERTI mitram excipe,
Bis tiarate PRINCEPS.
Post Martyrem, etiam coronet Ducem,
Et post Gaudentios, etiam noverit FLORIANOS.
Etiam id Nomen avitis ADALBERTI Rosis per amicum,
Quarum candori cum ille cæsus miscuerit purpurissum,
Coronare poterit etiam Purpuratos.
Sic alibi in galeis, hic in Infulis vernârunt Rosæ
Quæ Roseum pænè Sæculum Regno induxerant,
Quod sub FLORIANO iterum reflorescat!
Quod si non unicum induit caput
Biceps hic Cælo initiati verticis Pileus,
Tuo suaviùs conquiescet, cui diutiùs inhiavit;
Nec aliud ipse repando veluti ore loqueretur.

Post Infulas indue Paludamentum

Quo Te amictum voluit paludata Vrbium, regnatrix Roma.
Bis Ducalem Tibi humerum operuit;
Semel inter Doctorum laureas,
Nunc inter Pontificum Coronas.
Ibi pallium induxit, quo Athenis Sapientia usâ,
Hic cum Sacra cycladè induisti DEVM.
Nam hæc Te vicariâ DEI potestate impertit;

Et

Et cùm humeros illuſtri ſarcinâ premit.
Omnes Tibi Purpuras ſubſternit,
Quæ infra Regiam nituêre.
Cælum Tibi cum hoc lacertorum amictu in humeros fluxit,
Quod ſuccolare ac ut novus fulcire Atlas tenearis.

Crucem adhuc Manus capiat,

Ne ſigni Vincentis trophæo careat Eques Sacer;
Cui Pontificiæ manûs inſigne in triumphale
DEI-Hominis labarum refronduit:
Vel ut Patriæ ſub hoc ſigno victoriæ conſtarent certiùs:
Vel ut Tibi luculentior DEO proximæ poteſtatis nota inſideret
A Crucis Divinæ conſortio.
Tale Sceptrum capiat,
Qui regna animorum capit.
Solidum id eſt, nec adverſis natum cedere:
Quibus etiam ſenſum doloris adimit,
Dum ea tolerantiæ Panopliâ triumphat.
Nec Crucis hîc plurimum non reſidet,
Vbi curis Reipublicæ Specioſum munus innodat,
Et mentem de publici boni momentis anxiam configit.

Capeſſe adhuc & Sacrum Annulum,

Quo pronuba religio Paranympho Æthere Tibi ſubarrhatur.
In hoc Æternitatis æmulo Orbe Polonum orbem cogita,
Cujus centrum ſit cor Præſulis,
Et ſi hoc in punctum non deſinat,
Quod Immenſitatem capit.
Hic Te Circulus diu ambiat,
Hic Zodiacus manum mentemque irradiet,
Hæc compes aurea tibi omnium mentes devinciat,
Et ſpontè in aureo hoc vinculo captivam Libertatem.
Dotalis Perennitatis arrha Tibi in manum datur,
Quæ antè induit Doctoris annulum;
Sed cum hoc famam & Romæ ſtuporem rapuit,

Cum illo Cælum.

His Te inſignibus Gneſnenſis ara inaugurat,
Quem diu in ijſdem ſub hoc Sole Veneretur.

Nihil

Nihil unquam gloriæ refuderit in quemquam,
Quod in Te copiosiùs non redundet.
Olim ipsa etiam minora culmina premere Tibi gloriosum:
Nam satis patuit, quantum infra Tuæ dignitatis fastigium abiissent.
Semper se prodidit honoris infra Te exilitas,
Quamdiu in Maximum non succrevit.

Hic jam, vixdum suo munere perfungi exorsa, desinit eloquentia, ubi Tu incipis esse primus; dumque pulchrum fortunæ remigium Te in altum è portu provehit, ad portum anhela festinat oratio: dum in sublime Tu eniteris, illa de tanto Culmine se ad finem præcipitat. Hoc illi præceps pertimescendum fuerat, cùm Te heroico passu ire in ardua contendentem pedestris facundia pariter audaci calamo sequeretur. Haud quaquam par Scriptorum ac Heroum felicitas, dum quò illi fortunæ ductu Majestatem inferunt, hi volante calamo subsequuntur. Luit persæpe audaciam, atque in copiòso, & quod mutis etiam infundat facundiam, argumento, taciturnitatis probrũ sibi diserta natio consciscit. In Tuis quidem laudibus citiùs se amittat, quàm finem inveniat Oratio; eò quòd ab illis finem semoverit ipsa rerum immensitas, nihilque magis sit exsors termini, quàm immortalitas laudum: tamen ipsa terminum urget imbecilla virium tenuitas, non quòd desit, in quod ultra feratur ingenio, sed quòd exhaustis dicendi fontibus Oratorem totus destituat dicendi apparatus. Eloquentiæ hæc est imbecillitas, non parcitas argumenti: nam quo fastos æternitatis affatim imples, non parciùs in mortalem linguam & calamum agis. Sed pridem id sentiunt ingenia, quòd in Tua panegyri illa opprimat Tuarum rerum magnitudo; & nunc auget formidinem Majestas culminis, quod conscendis. Primo etiam conjectu hìc oculi vincuntur, nec Solem ferunt, quin statim totam is obruat pupillam. Hebescit acies, & in tanta luce opacum quærit, dumque manu se contra radium defendit, se tenebras amare, nec encomium lucis posse prosequi testatur, in quam ne quidem possit intendere. Pridem calamo tam felix, tam grande purpura Gnesnensis obtulit argumentum; quia & tanti Ducis auream pænè, cognatamque Regibus fortunam & tot beatam dotibus excepit pridem. Magni quidem antè in hac purpura Oratorum torsère ingenia, quibus calamus etiam atramento candidum dedit laudis suffragium, & sudor præconium expressit; sed illorum magnitudo intra terminos

Lechi-

Lechicorum Quiritium fuit, cùm in Te præter Archipræſulum purpuram Sanguis etiam confundat diſertorum conatus, ut qui in hoc Sanguinis Erythræo vix aliquantulum progreſſi, irruente pulcherrimâ laudum procellâ, naufragio ſorbeantur. Quod ſi hoc aliàs timeri poterat,nunc vel maximè,cùm in mari hoc Promontorium etſi Bonæ Spei cernitur, de cujus ſupercilio Tu proſpectes quidem & maturè arceas Patriæ incommoda, ſed ſimul ingeniorum rideas infortunia, quæ ad promontorium hoc vix ullâ remigandi arte inſtructa incautiùs allidantur, hoc eſt,ipsâ rei & argumenti granditate obruantur. Ergo portum eligit optatq; Tuis tenuiter velificata laudib⁹ eloquentia. Si tamen è totius Sarmatiæ voto loquendum eſt, in vota laxare linguam nonnihil adhuc libet. Optare, ut diu perſonam ſuſtineas, in qua tantus ſubſiſtit Honor, commune votum eſt; at ſingulare quiddam exigit communes ſortis prætervecta metas Celſitudo: Optare, ut quemadmodum feliciter iniviſti, feliciùs id muneris geras; nec id ſatis conſultum videri poſſit votum,quaſi à tanta prudentia poſcat unquam divortium fortuna,quam etiam fortes non ſine ope prudentiæ in manu pænè captivam gerunt: Optare, ut optimè, ac è re patriæ reiq; Sacræ modereris, id omnino votum propius otioſo; nam aliud de Te vereri, inconſultæ temeritatis eſt, cùm nec alia gubernandi ratio à Te ſperari poſſit quàm quæ optima; & fruſtra in illud votis frena laxantur, quod ante vota certior ſancit nec fallit eventus. Quare illuc vota colliment, illud anxiè per prona cæli ſupplicia depoſcant, ut vel tales Gneſnæ Archipræſules, tales huic imperio Primates Principeſque dent ſemper Superi, vel nunquam per ineluctabile fatorum arbitrium tales auferant: Quod votum Pontificij annuli gemmâ volumus conſignatum.